

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Viris Summe Reverendis L. Immanueli Hornio, Consistorii
Assessori Et Pastori Ad D. Thomæ Lipsiæ Et L. Johanni
Gunthero, Archi-Diacono Ibibem, Infulam ...**

Feustel, Christian

Lipsiæ, [1708?]

VD18 13459686

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)


Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:hbz:33-1-197322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:33-1-197322)





65. E. 12

65 E. 12

361

VIRIS
SUMME REVERENDIS
L. IMMANUELI
HORNIO,
CONSISTORII ASSESSORI
ET PASTORI AD D. THOMÆ
LIPSIAE

ET
L. JOHANNI
GUNTHERO,

ARCHI-DIACONO IBIDEM,
INFULAM DOCTORALEM

^A
FACULTATE THEOLOGICA

D.VIII. NOV. MDCCCVIII.

OBLATAM
BREVIBUS GRATULATUR
M.C. FEUSTELIUS, P. & S. W.

L I P S I Æ,
TYPIS BRANDENBURGERIANIS.

VIRIS
SUMME REVERENDIS
L. IMMANUEL
HORNIO
CONSISTORI ASSessori
ET PASTORI AD D. THOMAE
LIPSIAM
L. JOHANNI
GUNTHERO
ARCHI-DIAcono IBIDEM
INFULAM DOCTORALEM
FACULTATE THEOLOGICA
D. VII. NON. MDCCXIII.
OBLATAM
BREVIBUS GRATULATUR
M. C. FEUSTELIUS, P. & S. W.
L. P. 413
TYPIS BRANDENBURGIANIS.



VIRI

SUMME REVERENDI.



Terato hac vice vota mea vestris honoribus novis offerre audeo, qui hoc ipso anno ea publice offerre non sum veritus, quando DEO, supremo Ecclesiae Patrono & Potentissimo Rege atque Electore Saxoniae, ac Nobilissimo Lipsiensium Senatu, Ecclesiae vestrae Patrono munificentissimo atque prudentissimo jubente, Tibi, HORN EXCELLENTISSIME, ex Archidiaconatu ad Pastorum Thomaeum ascendere datum est, ut Viro sui nominis MACARIO nostro vere *paraglo* a Lipsiensibus ad Dresdenses, vel potius Dresdensi aulam ex eaque prae omnem spem & expectationem, imo contra omnium vota ex militante in triumphantem evocato Ecclesiam Successor constitutus es dignissimus; Tu vero, GUNTHER EXCELLENTISSIME, ex Nicolaitano in Thomaeum, revocatus es templum, ut Hornio tuo honoratissimo, Hor-

Hornio tibi ac bonis omnibus amatissimo Successor & Collega constitueris, qui jam olim per aliquot annos eodem in templo opus Domini conjunctis viribus & studio cum ipso strenue perfecisti. Alia quidem ratione, alio modo, Vobis VIRI SUMME REVERENDI, hac occasione occurrere deberem in vestra promotione, non chartis aut donis papyraceis, sed donis aureis, donis præclaris, donis magnificis, donis vestris honoribus in Theologia summis hodie pro meritis vestris in vos collatis, non indignis, ut olim apud Romanos, Alexandro ab Alexandro, Imperatori bellico in publicis triumphis aurum coronarium a populis victis, ab Imperatore ipso togæ & sagula æraq; & dona multiplicia alia singulis militibus pro meritis ita quidem oblata, ut quod pediti, duplex centurioni, triplex equiti daretur, una cum stipendio militari & frumento duplici, tribunus vero multo magis. Quia vero magnæ rei pecuniariæ domi angustia, ac marsupium inaniis atque araneis repletum, dum vivere in præsentia me DEUS jubet loco, ubi ipsa penuria, ipsa paupertas domicilium suum quasi visse videtur, munera vobis offerenda non tam vobis a me quam mihi a fortuna denegantur. Votis ergo adsum atque gratulationibus meis, ex ima cordis abyssu pro vestris honoribus, pro vestra incolumitate ad DEUM immortalem profusis, quas vobis non esse displicaturas certissime mihi persuadeo. Licet enim divina benignitas largo utre in vos dona sua cœlestia infuderit, nec natura in suis in vestros animos conferendis donis noverca fuerit, vix tamen Ajacis scateatram a nobis approbatum iri puto, qua animi donis ac naturæ benignitate confidendum judicant. Cum enim pater ipsum ad bellum Trojanum cum aliis Græciæ hero,

heroibus mitteret, monitor quidem erat & autor, ut immortalium deorum auxilium precibus suis & oblationibus in suas partes provocaret. Tantum vero ab erat, ut cohortationes paternæ in animo ejus insiderent, ut illis potius rejectis, diceret, sibi auxilio divino non esse opus, quod propriis viribus & fortitudine confusus contra hostium exercitus proditurus ac hostes prostraturus esset, inermibus & infirmis, imo pigris & ex cordibus auxilio deorum relicto. Vitæ vestræ innocentia ac indefessum studium in vinea Domini sine offensione nec sine fructu operandi, ac merita in Ecclesiam & studiosam juventutem plane singularia, imo victoriæ ab infernalibus cacodæmonum turmis plus una vice reportatæ Regis & Electoris nostri Potentissimi gratiam ac Patrum Lipsiæ Conscriptorum favorem vobis conciliaverunt, ut vos summis præficerent officis. Tu, **HORNI EXCELLENTISSIME**, Lipsiam vita & doctrina tua, imo vitæ & doctrinæ harmonia laudabili excitasti, ut a concionibus meridianis, quibus habendis meo tempore olim fuisti præfectus, ad Pastoratum Thomanum ascenderis eoque modo, ut olim B. Tellerus, imo Seligmannus & Carpzovius, Synedrii Ecclesiastici Assessuram acquisiveris. Tu, **GUNTHERE EXCELLENTISSIME**, a concionibus sabbaticis in Nicolaitana æde habitis ad Archidiaconatum per gradus evectus es, tu sæpius cum Romani Pontificis veneratoribus in arenam descendisti, nec infeliciter contra ipsos arma sumisti, imo plus unis laureis atque palmis ab ipsis reportatis non nili victos veritate reliquisti. Nullus vero dubito, quin meas admissuri sis preces pro vobis vestrisque laboribus ac præsentí promo-

tione ad DEUM fundendis. Divinis enim oraculis mo-
 nentibus, in sacris sine divino auxilio studium humanum
 nihil potest efficere, aut utilitatis quicquam, ita quidem
 ut supremo Numini placeat, proferre. *Vana enim, Am-
 brobio lib. 2. de Vocat. Gent. C. 2. iudice, hominis voluntas
 nihil habet in suis viribus, nisi periculi facilitatem, quia
 voluntas mutabilis, quæ non ab immutabili voluntate regi-
 tur, tanto citius propinquat iniquitati, quando acrius inten-
 ditur actioni. Nec hominum quisquam ut Fulgentius lib.
 I. ad Morim. monet, siue ad cogitandum, siue ad operan-
 dum quodcunque bonum, potest esse idoneus, nisi fuerit mu-
 nere gratuito divine opitulationis adjutus. Ab ipso namque
 est initium bonæ voluntatis: ab ipso facultas boni operis: ab
 ipso perseverantia bonæ conversationis: ab ipso datur in præ-
 senti seculo vera cordis humilitas & in futuro retributionis æ-
 terne felicitas.* Nota sunt exempla doctissimorum etiam
 virorum, qui extra divinæ gratiæ statum constituti, & sibi
 soli relictæ, contra spem & expectationem omnium in gra-
 vissimos delapsi sunt errores. Arius documentum satis
 triste & nimis lugubre Ecclesiæ præbuit orientali. Hic
 alias non leviter literis tinctus, ut etiam in successione
 defuncti Episcopi Alexandrini Achillæ, cum Alexandro
 in certamen prodire potuerit, & ut Sveratès de eo præ-
 dicat, artis Dialecticæ minime ignarus, vel ex invidia er-
 ga Alexandrum, quem sibi in Episcopatu prælatum esse,
 ut Theodoretus autumat, ægre ferebat, vel ut Socrates
 & Sozomenus judicant, ex contentionis studio eo dementi-
 tiæ vel potius blasphemix prodiit, ut Filium, qui a Patre
 natus esset, initium habuisse adeoque nec Patri ὁμοῦσιον
 insaniret. Indeque quod profunditatem hujus mysterii
 ratio-

rationis bolide emetiri tentavit, in blasphemiae abyssum procedit, ut articulum nulli rationi subiectum nulloque intellectu compræhensibilem, citius negare quam credere voluerit. Cui tamen Gregorius Nazianzenus, si adfuisset, Or. IV. de Theol. satis acute nec sine pondere dicturus fuisset: *Non magnum quid esset, hæc generatio, si abs te perciperetur, qui ne propriam quidem generationem cognitam habes, vel paululum quiddam huius percipisti, quantumque te putet dicere. — Quod si propterea, quod abs te non est percepta generatio, Filius non est genitus; tempus est, ut multa in rerum universitate deleas, quæ tu non percipisti, & quidem ante omnia DEUM ipsum. — DE I generationem cum silentio veneremur. Magnum quid tibi sit intelligere, quod sit genitus. Quo autem modo, id ne Angelis quidem cogitandum: tantum abest, ut tibi permittamus. Vix dicam tibi, quo pacto? sicut Patri cognitum est, qui genuit; & Filio, qui genitus est. Quid supra hoc est, nubes tegitur, oculorum quæ tuorum habitudinem fugit. Et ex majorum nostrorum temporibus notum est nomen alias celeberrimum, & ob merita in veram religionem & sanctam nostram Ecclesiam nunquam satis deprædicandum, Matthias Flaccius Illyricus, qui, cum Victorino Strigelio, vehementissimo synergistarum patrono, μεταβλητότης μήτης τῆ ἐπισήχδο. in Disputatione Vinariensi, cujus Acta a Petro Musæo fideli ejus parastata edita sunt, argumento a totali hominis corruptione desumpto, omnes elabendi rimas obstruxisset, technis sophisticis adversarii, quibus peccatum originale tanquam leviculum accidens, quod extra Subjecti corruptionem adesse vel abesse posset, extenuabat, circumventus, Manichæismi crimen subiit, dum ipsam hominis Substantiam esse peccatum originale affirmabat. Quem*
erro.

errorem facile evitare potuisset, si ex fervore disceptandi quid remisisset pauloque cogitatus aut curatius sua cum DEO agens, discrimen observasset inter *Accidens Predicabile*, quod sine subjecti corruptione adesse vel abesse potest, & *Predicamentale*, quod alteri, tanquam Subjecto inest. Unde apparet facillime casses adversariorum incedere ac crimen gravissimorum errorum, aut etiam hæreseos subire posse hominem literarii artificii alias scientissimum, sibi soli relictum. Vestra quidem merita in Ecclesiam aliud nobis promittere nullumque periculi suspicionem relinquere videntur, dum Tu, HORNI AMPLISSIME, concionibus tuis Epistolicis etiam doctoribus Ecclesiæ publicis viam præivisti, qua per aliquot annos in explicandis Epistolis Dominicis & festivalibus feliciter progredi possunt, quando ceu filum Ariadneum tuarum explicationum ductum sequantur. Tu vero, GUNTHERE AMPLISSIME, scriptis tuis Antipapistis & Hoferianam cœli viam defendentibus non tantum viri magni nominis jam olim meruisti calculum, ut studiosam juventutem ad Te, tanquam felicissimum Philosophicarum doctorem amandaret, sed & totam Ecclesiam in spem ulterioris victoriæ a veritatis cœlestis hostibus, divina assistente gratia per te reportandæ accendisti. Ast enim vero, quia nemo ab omni parte beatus aut ab omnium errorum mentione aut certe tentatione, sibi soli relictus, semper immanis, quia ἄλλοτε πωρην πῖλες ἡμῖν αἰδοῖς μήτης, sicq; quilibet homo a se humani nihil alienum esse videt; aut si etiam omne labendi periculum omnis erroris timor abesset, certissime tamen mihi persuadeo, vota mea pro divinæ gratiæ continuatione vobis non fore de-

spicui

spicatus, cum Divus Paulus, vir a CHRISTO ipso
 ἁγιάσας illuminatus ac divino Spiritu immediate afflatus Ro-
 manorum, Ephesiorum, Colossensium, Thessalonicen-
 sium, Ebræorum & aliorum Sanctorum intercessionem
 efflagitaverit. Ac proinde preces ad DEUM fundo me-
 as votaue offero in τῆς κληρονομίας βήταλον animi vobis
 expositissimi hoc die, quo sacro sancta Theologia sum-
 mis honoribus ex merito vos maectat, ut felix faustusque
 sit hic dies, propitium vobis semper adsit Numen in omni-
 bus vestris actionibus, Et sicut nomen tuum,

IMMANUEL HORNIUS,

VIR EXCELLENTISSIME, Seligmannum, si
 non in omne re certe & fide nobis referre videtur, dum
 MACARIUM, ut antecessor tuus μακάριος, Selig-
 manens φερώνυμος, in meis ad Pippingium ve-
 stro--meum audit, nobis referre videris, quando in tuo
 nomine ejusque literis transpositis fidei tuæ indolem, cer-
 tamque salutis æternæ & μακαρίας cœlestis certitudinem,
 ut alter MACARIUS & extra μακαρίαν cœlestem con-
 stitutus in lacrymarum vel te adhuc versans, tibi certissi-
 me promittis, nobisque in exemplum & imitationem fi-
 dei tuæ proponis exclamando:

SALVOR, MIHI NUMEN,

hancque explicationem, qua te ab hostibus veræ Eccle-
 siæ ἀσπρόδοις segregare vis, addendo:

Auxilio CHRISTI certe; SALVOR, MIHI NU-
 MEN,

Numen id Immanuel, quod mihi sumo fide.

B

Per

*Per meritum CHRISTI sanctum SALVOR, MIHI
NUMEN,*

*Hunc dubitet solus dogmate popa suo.
Mundi totius lytro SALVOR, MIHI NUMEN,
Particulari igitur dogmate, Calve, vale,
Jam sum salvatus, salvabor sanguine CHRISTI,
SALVOR adhuc, NUMEN nam MIHI propi-
tium.*

Tuum, VIRE EXCELLENTISSIME, nomen novo suo
præfixo titulo,

D. JOANNES GUNTHERUS,

non invenisse prodit, quod eodem tuo nomine vera Ec-
clesia a supremo Numine petat, dum brevibus quidem,
atque devotis suspirat verbis:

AH! NONNE DEUS SURGIT?

Ac de certitudine exauditionis precum vera fide effusa-
rum minime dubitat, tum ista effatur:

*AH! ab! NONNE DEUS SURGIT? surgit sur-
getque per arma*

Guntheri quoties parva trophæa refert.

*AH! ab! NONNE DEUS SURGIT? surgit, quan-
do hostica castra*

Scriptura pereunt, hostica castra ruunt.

*AH! ab! NONNE DEUS SURGIT? surgit, quan-
do agmina sancta*

Christi colum angelicus cætus ubique tegit.

*AH! ab! NONNE DEUS SURGIT? surgit sur-
getque piorum*

Quando choro cæli gaudia læta dabit.

Exindeque votum illud vobis offero: Immanuel semper sit
re-

tecum, HORNI SUMME REVERENDE, ut tuo nomine
certus sis de ejus praesentia & auxilio in tuo officio, in tuis la-
boribus, in Consistorio, in cathedra Ecclesiastica, in Musæo,
quo, sicut mater omnium viventium filii primogeniti no-
mine obtentionem & possessionem Messiae, sive viri Domini,
per fidem in corde retenti prodidit, & Moyses per eliezeris,
filii sui secundo geniti denominationem auxilii divini prae-
sentiam in exilio suo certissimam fide ostendit, ita nomi-
ne tuo a Deo habeas, quod nomen tuum promittit atque
spondet. Sis Johannes, GUNTHERE SUMME
REVERENDE, re ipsa, ne nomen geras sine omine, ut re
ipsa sis, qui voceris sicque nomen re ipsa tuum referas, ut
vir sui nominis. Imo HORNIUS sit GUNTHERUS,
GUNTHERUS sit HORNIUS, hoc est, HORNIO
sit gratia DEI, quam GUNTHERI nomen indicat,
GUNTHERO adsit JESUS, quod HORNII nomen
innuit, ut uterque sit & maneat, quod utriusque nomen
innuit, ut Doctoris nomen in vobis non sit nudum aut oti-
osum nomen, sed nomen per Immanuelis gratiam bene-
dictionis multum, multum salutis, multum commodi
promittens, multum boni afferens Ecclesiae DEI, Lipsiae,
studiosae juventuti, vestris, mihi, meis. Weidav.

VIII. KL. Nov. 1515 CCCVIII.



65 E 12

